

7+8 / 79

IDIBVS IVLIIS ET AVGVSTIS
MCMLXXIX

RV MOR VARI
MOR VARIVS R
R VARIVS RVM
VARIVS RVM

RVMOR VARIVS

RV MOR VARI
MOR VARI
VARI

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE
LATINA TVRICENSI in ae-
dibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS duodecies in
singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis:
(quotannis)

In Helvetia	Fr.	8.80
In Germania	DM	11.--
In Austria	ÖS	90.--
In reliqua Eu- ropa	Fr.	13.--
In terris trans maria sitis	Fr.	18.--

Speciminis exempla gratis
mittuntur, ut id rogatur

Collegium redactorum:

Ulricus Aeschlimannus
Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Patricius Hardmeier
Thomas Wichteremann

Impressum et acceptio re-
rum legentibus publicanda-
rum:

Franciscus Bachmannus

Typographeum:

Copy Quick, Turicum

Domus editoria
(epistulae, mandata):

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:
Schweizerische Bankgesell-
schaft

RVMOR VARIVS806.134. J 1 A

RVMOR VARIVS wird von der
SOCIETAS LATINA TVRICENSIS
UNTER DEM Patronat der AKAD
herausgegeben

RVMOR VARIVS erscheint 12 Mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreise:
(jährlich)

Schweiz	Fr.	8.80
Deutschland	Dm	11.--
Oesterreich	ÖS	90.--
übriges Europa	Fr.	13.--
Uebersee	Fr.	18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Patrick Hardmeier
Thomas Wichteremann

Graphik und Layout:

Franz Bachmann

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse
(Briefe, Korrespondenz):

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Bankverbindungen:
Schweizerische Bankgesellschaft

RVMOR VARIVS 806.134 J 1 A

PRÆFATIO

Ulricus Aeschlimannus omnibus amicis RVMORIS VA-
RII salutem dicit!

In hac praefatione mihi multae res narrandae
sunt, quae acciderunt post quam superiorem prae-
fationem scripsi! Convenerunt enim ante paucos
dies in aedibus AKADis Turici sitis ii socii ope-
ris, qui RVMOREM VARIVM adhuc componere solebant,
una cum futuris sociis operis, qui a nobis invi-
tati erant, ut se nobis socios asciscerent.
Inter hos omnes colloquium habitum est, quo no-
vum collegium sociorum operis perpetuo collabo-
rantium componi potuit. Hoc novum collegium vobis
hodie ostentare velim:

Inter socios, qui adhuc perpetui socii operis pro
RVMORE VARIO ratas partes scribere solebant et in
futurum tempus scripturi sunt, inveniuntur Patri-
cius Hardmeier, Thomas Wichteremann Ulricus
Aeschlimannusque; se asciscunt novos socios per-
petuos operis collegio adhuc composito in futu-
rum tempus Dr. Emanuel Bernard et Dr. Jürg Bleiker,
uterque eruditissimus doctissimusque Latinae lin-
guae peritus philologus. Ita in futuris exemplari-
bus RVMORIS VARIII semper aliquas ratas partes a
his viris compositas invenietis. Quid memorem ve-
terem meam factam adhortationem, ut vos quoque,
cari legentes amici, nobis ratis partibus vestra
manu Latina lingua scriptis mittendis RVMOREM VA-
RIVM ampliorem magis delectantemque efficiatis?
Valeret haec adhortatio mea iam saepe pronuntiata
'delassare Fabium', ut ait Horatius Flaccus!
Tamen iterum dicam: Quicumque interdum aliquas ra-
tas partes in RVMORE VARIO publicandas nobis mise-
rit, is quoque in numero sociorum operis nostro
habebitur!

Franciscus Bachmannus, qui RVMORI VARIO impressum,



COLLEGIUM REDACTORVM RVMORIS VARI

acceptationem rerum legentibus publicandarum typographæumque curat, in fine mensis Iulii per XVII hebdomades stipendia in exercitu Helvetico merere debet. Dum is inter arma manebit, opus suum Patricio Hardmeier vicario mandabitur.

Habemus etiam novum curatorem correctionum partium ratarum RVMORI VARIO missarum, Dr. Jürg Bleiker de quo iam supra mentionem feci. Is in posterum curabit ut libellus noster semper quam minimos errores continens edetur!

Videtis collegium redactorum sociorumque operis semper augere et ad maiorem gloriam nostri libelli laborare.

Spero hoc exemplar duplex (editur pro mensibus Iulii Augustisque) quam plurimis vestrum maximum gaudium laturum esse!

Felices ferias omnibus!

Ulricus Aeschlimannus

RVDIAMENTVM AB EMANVELE BERNARD COMPOSITVM

Cari legentes,

Egregii viri redactores huius libelli nuper mihi bona fide proposuerunt, ut aliquid ad vos delectandos aptum componerem. Propositum placuit et me non nolle dixi.

Heu me miserum! Quam est vacuum caput meum! Ne minimam quidem habeo cuiuscumque rei cogitationem. At tergiversandum non est, quandoquidem levitate animi inductus me aliquid intra dies decem scripturum promiserim. Promissum praestandum est nec facere possum, quin aliquid componendo operam dem. Itaque nunc intra bibliothecam meam clausus sedeo stilum mordens, scidulam albam intuens, animum in omnes partes versans, ut aliquid, quod legentibus gratum possit esse, inveniam. Frustra! Operam perdo. Praestare puto me cubitum ire sperantem cras mane Musam mihi magis fore prohibitam.

Postridie mane:

Bene quievi. Quietate satiatus sum, quamvis aliqua per somnum animum vexantia viderim. Ecce somnium: Petrus amicus cubiculum meum intravit multo mane, haud irridicule exclamans: Pigerrime! Nonne te pudet in multam lucem stertere? Surge! Veni mecum ad balneas! -

Quid dicis? Delirasne?

Minime! Festinemus! Pulcherrimae totius urbis virgines erunt nobiscum. -

Quaenam, dicax? -

Anna et Rosa. Nonne eas novisti? -

Equidem novi. Venustissima utraque. Iam dudum desiderio captus sum istas virgines spectandi ambulantes maxima parte corporis nuda. Est aliquid,


hercle! -
 Cave Cupidinis sagittas! -
 Cur caveam, morose? Ubi sunt? -
 Exspectant nos in balneis. -
 Quibus in balneis? Sunt permultae circum lacum. -
 In litore lacus Turicensis nimirum. -
 Quo loco litoris, baro? Litus est longum septua-
 ginta milia passuum, ni fallor. Ab urbe Turico
 usque ad 'Rapperivicum'. -
 Baro tu es! In illo litore nimirum, quod nostro
 sermone 'Strandbad' appellamus. Tenesne tandem? -
 Edepol! -
 Ergo move te ocius, somniculose! -
 Quid horae est? -
 Post octavam nunc sunt puncta decem. -
 Itane vero? Nesciebam hoc esse tempus. Exspecta
 me in atrio! -
 Immo te exspectabo foris in meo novo automobili. -
 Novumne est tibi? Optime! Exspecta patienter,
 quaeso! Ego actutum lavabo et barbam mihi radam.
 Brevi paratus ero. -
 Amicus exiit. Quindecim punctis post domum reli-
 qui et obstipui: quam elegans automobile! Currus
 sex cylindrorum, animo cogitate! Postquam satis
 admiratus sum, conscendi currum;
 At hoc ipso momento temporis necopinato pluvia
 ingens cecidit eo modo, ut iam per fenestram
 spectare nequiremus. Tonitrua magna audiuntur,
 fulmina micant horribilem in modum. Domus proxi-
 ma fulmine icta deflagrat. Canis meus in flammis
 perit, Summopere territus exclamo:
 Petre, move te! Ubi est sacrum illud instrumen-
 tum vitro detergendo? Fac tandem per vitrum spec-
 temus! Fac ad balneas perveniamus! -
 Et Petrus: ignoro, ubi sit istud instrumentum,
 non reperio. Nonne tibi dixi hunc currum esse no-
 vum? Ignoro, quomodo vehendum sit. Unum, quod
 scio, est tibia ululare, aliud nihil. -
 Tu vehi ignoras? At quo modo huc vectus es, infe-
 lix -
 Non ego vectus sum, sed Paulus. -
 Paulusne? Ubi est nunc? -

Abiit. Rixati sumus. Tum ira incensus evasit. -
 Incommodissime accidit. Frustra multo mane sur-
 rexi. Ecce calamitas! Et virgines nostrae nos in
 litore exspectant. Fac tandem ut moveatur iste
 sacer currus tuus aut, si nescis vehi, abi in ma-
 lam rem! -

Interim circum nos magna turba concurrerat riden-
 tium, clamantium, maledicentium, et Molinarius,
 vicinus meus, pugno sublato minatur se morum
 praefecturam advocaturum, nisi extemplo aufugiamus.
 Habere se filum aëneum domi, quo utatur te-
 lephonice ad magistratum advocandum. Iam se abire
 ad advocandum. "Vae vobis!" exclamans aufugit, et
 turba circum nos ferarum similis conclamans magno
 risu nobis illudit.

In hoc puncto somnii experrectus sum. Ignoro,
 quid sibi velit istud somnium, utrum sit faustum
 an infaustum. Aviam meam interrogabo, quippe quae
 sit somniorum famosa interpret, et interrogata
 illa proximo libello, quid dixerit, faciam scia-
 tis.

Dr. Emanuel Bernard



ETIAM SVBNOTARI
 POTEST!
 SVBNOTATIO IN
 VNVM ANNVM

VORTEILHAFTER IM
 ABONNEMENT!
 JAEHRLICHER ABON-
 NEMENTSPREIS

FR. **8.80**

HELVETIA / SCHWEIZ

Aenigma

QVO PRAEMIUM ACCIPI POTEST!
 QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO
 MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR!

DIES VLTIMA IDIBVS SEPTEMBRIBVS MCMLXXIX EST!

PRAEMIA SVNT:

primum praemium: LIBER

secundum praemium: LIBER PARVVS

tertium praemium: LIBER PARVVS

RVMORI VARIO a lectore hoc scriptum est:

Saxula, a.d.XIV Kal. Aug.
 MCMLXXIX

Victor Bieri s.d. collegio redactorum RVMORIS
 VARIII.

Aenigma RVMORIS VARIII (libelli 5/79) a me soluta
 tertium praemium a vobis accepi. Magnum gaudium
 meum erat, nam prima aenigma quam solvi.

MaXima gratias vobis ago.

Animo grato


vester Victor Bieri

ad libram:

1. praenomen Romanum
(breviter scriptum)
22. cogito, ergo ...
3. oppidum notum
4. idem, ... , idem
5. mercari
6. frater et
7. solum vertere
8. mors
9. ratio
10. mercari
11. plus quam sane est
12. caritate
13. formo
14. initium
15. fames et ...
16. neco
17. per manus do
18. inanis
19. antea
20. cum primum
21. D et D sunt ...

ad perpendicularum:

1. VERBVM SOLVTIONIS



Barbara Maria Maier

Vivre une année

poèmes

Barbara Maria Maier,
quae *Asinum Doctum*
in *RVMORE VARIO*
scripsit,

etiam carmina lyrica
pulcherrima composuit.


Successu magno horum
carminum animo confir-
mata Barbara Maria
Maier collectionem in li-
bellum

'*Vivre une année*'
contulit. Lectoribus fa-
cultas data est hoc libel-
lum carta mandativa addita
subnotari!

Preteritium: Fr. 10.-

Vivre une année

poèmes



RVMOR VARIVS

Postfach 883

CH-8050 Zürich

SVBNOTO LIBELLVM

Vivre une année

(Preteritium Fr. 10.--)

DOMICILLVM MEVM:

DE COMMISSARIO

Sunt nonnulli inter nos qui avide televisorium spectent, quandocumque ille incredibili acumine Commissarius celerrime vel maxima hora dimidia difficillima aenigmata solvit. Timeo autem ne complures nesciant hoc spectaculi genus iamdudum in libris ad linguam Latinam docendam compositis demonstratum et perfectum esse. Quam sagaciter convincat maleficos Commissarius temporibus Romanorum, vobis lectione quinta decima libri cuiusdam* explicabo, ubi lepidus dialogus inveniri potest. Ignari aestimentur hunc dialogum re vera nihil esse nisi seriem quarumlibet sententiarum ad exercendam grammaticam compositarum; errant.

Incipit lectio interrogatione captiosa, cum Commissarius ex duce manus latronum quaerit:

1. VBI HABITAS?

Eheu, nihil respondet maleficus, sed - id enim faciendum puto - subridens manifestoque despiciens istum ministrum publicum contemplatur manus suas perfecte curatas anulisque aureis ornatas. Commissarius autem, vir obscuro loco natus, qui opibus nihil virtute ac honestate permultum valet, ex se de altero coniecturam faciens colligit:

EGO HABITO IN VILLA PARVA, TV IN VILLA MAGNA.

His verbis Commissarius abit. Malefici tardae mentis cum sint numquam intellegunt se ex occulto observari posse. Commissario specie absente reapse post arborem auscultante dux latronum sociis suis quid sui consilii sit ostendit:

* Lateinisches Übungsbuch für schweizerische Gymnasien,
1. Teil/ Dr. Paul Boesch

2. NOS PROPERAMVS IN SCHOLAM.

Aha! cogitat Commissarius, illuc properare volunt!

VOS AMBVLATIS PER SILVAS VMBROSAS.

Vae! Num quid suspicantur? Commissarius subito timore affectus est; gloriosi autem, quibus tantum in animo est voluptatibus parere, his verbis puellas festum parare iubent:

3. ORNATE PORTAM CORONIS ROSARVM, PVELLAE!

O superbiam non ferendam! Non est praetermittendum tempus incautos opprimendi - celerrime Commissarius apparet et inopinantibus terrorem inicit quaestione repentina:

4. QVIS NAVTIS NOCEBAT?

Notandum est tempus imperfectum; videlicet malefici sunt piratae iam pridem quaesiti. Hoc eis minime opinantibus accidit. Ne minimo quidem signo Commissarius prius aperuit, quantum ei notum esset; hoc impetu et lectorem et piratas stupefecit. Piratae autem fugam petere conantur, sed enervantur voce melliflua (Commissarii scilicet):

5. QVO PROPERATIS, DISCIPVLI?

Animadvertamus quanta subtilitate et haec quaestio posita sit. Qui fit, ut Commissarius sciat eos in scholam properare velle? Scit tamen, aliter non potuit eos 'discipulos' nominare, et cum videant Commissario ita ludente omnia perdita esse, minima voce concedunt:

IN SCHOLAM PROPERAMVS.

Si qua cogitatione ducerentur Commissarium tantum simulare, re vera nescire, miserrimis omnis spes eripitur illa sine ullo dubio rhetorica quaestione:

6. QVID NAVTAE GRAECI IN ITALIAM TRANSPORTABANT?

Ita facinus piratarum maleficorum in lucem protrahendum est. Commissario locuto causa finita. (Concedendum est nobis huius aetatis hominibus dubium re-

manere, de quo agatur. Quidnam commiserunt? Rapueruntne statuas? Attuleruntne cannabim?) Sed ne amplius excruciemur, scaenicus causae capitalis ludus progreditur, ut vehementer commoveamur: Puellarum supra notatarum pulcherrima lacrimas continere non iam potest, ita ut quaerat ex ea sacer iste Commissarius:

7. CVR FLES, PVELLA?

Exin latruncula statim facinus confitens:

FLEO, QVIA POENAM TIMEO.

Plane scelerati perierunt. Nunc autem nos omnes odimus Commissarium, spectatores conclamant; ut puellam salvent contendunt, alios ludos poscunt:

8. NARRA NOBIS FABVLAM LAETAM, POETA!

Utinam tacuissent! Apparent minae ingenti magnitudine:

9. VOS LINGVAM LATINAM DOCEO!

- id est: incipit novus cursus televisorius!

Dr. Jürg Bleiker

1	L	A	2	P	I	3	D	4	A	5	R	I	6	U	7	S
	E		E		7	E	N	A		8	A		T			
9	C	10	I	R	C	I	N	U	11	S			O			
	T	N	I		12	N	I	D	I				M			
13	I	U	S				14	C	U	R	15		A			
16	C	I	T	A	T	U	S				17	A	C			
	A		Y				18	L					M	H		
19	R	20	E	L	21	I	Q	U	U	M			O			
22	I	S	I	S			S	L			23		U	S		
24	U	S	U			25	A			U			S	U		
26	S	E	M	I	S	O	M	N	U	S						

SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis sortes conieciimus. Hic sunt, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium:	Herr Max Müller-De Vries 4143 <u>DORNACH</u>
secundum praemium:	Herr Martin Meier 3302 <u>MOOSZEDORF</u>
tertium praemium:	Herr Albertus Zwicker 8810 <u>HORGZEN</u>

COMMENTARII PERIODICI LATINI

VOX LATINA

*Textus antiqui et mediaevales
et humanistici et recentissimi*

VOX LATINA inscribuntur Latini commentarii periodici, quibus edendis Dr. P. Caelestis Eichenseer, qui est in Saraviensi studiorum Universitate, luculenter moderatur, in quod opus convenienter efficiendum ab anno 1976 ° complures professores academici magistrique linguae Latinae praeclari inque Europa insignes scientissime cooperantur. Quibus chartarum fasciculis ea regulariter referri solent, quae spectant ad quaestiones promovendae vivae linguae Latinae continenter expediendas. Ibidem auxilia didactica praebentur, quae prosint institutioni scholari, atque consilia communicantur, quibus consuetudo sermonis Latini inter populos confoveatur.

Eduntur autem quotannis quaterni fasciculi, qui constant viginti marcis (Germanicis), ad quod pretium solvendum accedunt expensae cursuales.

Neo-Latinus sermo vere Latinus est, ubi stricte vigent regulae praeceptaque grammatica antiquitus observata, sed tractantur, idque Latine, res recentiores recentissimaeque, ut necesse sit inventionibus novis secundum Ciceronis ipsius monitum (fin. 3.3. 3,10) nomina imponere nova, eaque vere Latina, secundum exemplarem usum consuetudinemque antiquam et mediaevalem et humanisticam quam convenientissime conficta et conformata. Talia igitur exempla in paginis commentariorum VOCIS LATINAE proponuntur et praebentur. Qualibus supplementis legitimis, iisque non arbitrariis, sed omnino necessariis et consideratissimis, congruenter aucta et locupletata lingua Latina non differt a scriptis antiquis nisi copia verborum competenter suppleta.

Hac scientia sermonis Latini commodius instructi tam vetera quam nova facile voluptuoseque legere possumus atque ea quoque perstudiose persuaviterque percipere, quae scribunt tradunt referunt coaequales item Latine docti. Hunc in modum et Latinitatem colamus et humanitatem et communitatem certe singularem et incomparabilem.

Denique Tibi Tuisque expetas specimen exemplarve fasciculorum VOCIS LATINAE, quod desiderium cures ad instituti sedem perferendum, quae est haec:

VOX LATINA

Universität - Fachbereich 6.2

D - 6600 Saarbrücken 15

Ihre Bank: Bankgesellschaft



Schweizerische Bankgesellschaft

SVBNOTO RVMOREM VARIVM:
Ich bestelle RVMOR VARIVS für mich:

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
DONVM DATVM ALICVI
(Factura subnotationis
mittenda est ad adres-
sam supra stantem)

Ich bestelle RVMOR VARIVS als Ge-
schenk für jemand andern:
(Mit Rechnung an obige Adresse)

HIC SOLVTIONEM INSCRIBE
ET CHARTAM MITTE!

DOMICILIVM MEVM:

RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH- 8050 Zürich

RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH- 8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

7+8 / 79

IDIBVS IVLIIS ET AVGVSTIS
MCMLXXIX



RV MOR VARI

